ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 91r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dicitur philosophice. paene omnia quae nostra sunt sensit.
Dissidet uero a nobis cum deo dicit esse materiam coaeternam.
Dissidet cum negat deum curare mortalia. sed prouidentiam eius supra lunaris globi spatia cohiberi. Dissident a nobis cum uitas nascentium stellarum cursibus pendunt. Dissident cum perpetuum dicunt hunc mundum. et nullo fine claudendum; Sed et alia plurima sunt in quibus nobis cum uel dissident uel concordant. Et ideo abimelech secundum hanc figuram aliquando in pace esse cum isaac. aliquando dissidere describitur; Sed et hoc non puto quod otiose spiritui sancto qui haec scribit. cura fuerit comprehendere. quod duo alii cum abimelech uenerunt. id est ochozath gener eius et phicol dux exercitus eius; Interpretatur autem ochozath tenens. et phicol. os omnium. Ipse autem abimelech. pactum meum rex; quitres ut ego arbitror imaginem totius philosophiae tenent. quae apud eos in tres partes diuiditur; Logicam. fisicam. et hicam. id est rationalem. naturalem moralem; Rationalis est illa quae deum patrem omnium confitetur. ut est abimelech. Naturalis illa est quae fixa est et tenet omnia uelut naturae ipsius uiribus nitens. quam profitetur ochozath qui dicitur tenens. Moralis est quae in ore est omnium. et ad omnes pertinet et pro